

sicut saturnus qui quando est in signo in quo habet maiorem potestatem quam alius planeta facit homines natos in sua constellatione graues ad se mouendum: & alter planeta facit agiles. F.

Sic loquendo profecto nihil quod mea sententia iuari uel defendi non possit adduxisti. Sed si placet responde quare sunt corpora celestia ad ornatum ne & quare influentia? Astro. Iam medium silentium tenent omnia: dormiendum censeo usque mane post audies quae ab altissimo inspirabuntur. F. Lucessit surgendo ad spiritus de largitate sua spirat: responde quare sunt haec?

Astro. Tribus modis hanc questionem considerare possumus. Primo secundum causam & effectum: & sic dicimus quod celum & stellae sunt quia factorem habent deum creatorem qui celum creauit & corpora celestia & influentias: & ideo quia deus est creator est celum & stellae & influentiae: quae sunt effectus & ipsius operatio. Secundo modo sunt per modum formalitatis sicut homo qui formaliter est: quia est de anima rationali & corpore humano formatus: & sic celum & superiora corpora sunt quia formaliter sunt & essentialiter de forma & materia celesti: ut dictum est proxime: si notasti. Tertio modo ratio finis questionem absoluit. homo enim est homo ut recolat & intelligat & diligat deum: & illi seruiat toto corde: & premium aeternum accipiat: sic celum & stellae sunt & influentiae ut substantiae inferiores uiuere possint: sicut panis est ut homines de ipso uiuant: & ut sit generatio & corruptio & priuatio per alterationem uite in mortem: quoniam absque celo & stellis non esset generatio nec corruptio: nequedies neque horae neque tempora anni: neque aliqua operatio naturalis: quoniam absque influentia celi non posset generari elementum ex elementis: ut etiam dicitur secundo de celo & mundo: & primo metaurorum: & alibi: quoniam non esset natura quae moueret instinctus & appetitus naturales ad agendum in substantiis elementatis & uegetatis & sensatis: quoniam principia inferiora sicut ignis plata & homo & similia semet ipsa cogere non possent ad suas contrarias naturas: ignis enim siue iuuamine solis non posset aquam compellere ad calefaciendum: ut carnes in olea calefacierent: cum aqua id agat contra naturam propriam: & ratio huius est: quia aqua concordat: cum terra per frigiditatem & cum aere per humiditatem & ignis per se non posset illam con-